DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VOMITVS EXCITANDI INDICANTIBVS ET CONTRAINDICANTIBVS

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO DVCE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

IN VTRAQVE MEDICINA

RITE IMPETRANDO

A. D. XXVIII. SEPTEMBR. MDCCLXXXII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

GODOFREDVS GVILIELMVS SCIPIO

VORMATIENSIS

IENAE

LITTERIS MAVKIANIS

S. R. I. INCLYTAE AC LIBERAE

REIPVBLICAE

VORMATIENSIS

MAGISTRATVI AMPLISSIMO

VIRIS

EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS

D. TREDECIMVIRIS

D. CONSVLIBVS

D. SYNDICIS

D. SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS OPTIMIS

FAVTORIBVS PIE COLENDIS

HOC QVALECVNQVE OPVSCVLVM

SACRVM ESSE VOLVIT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR DEVOTISSIMVS

AVCTOR

PRAEFATIO

Adeo frequens hodie eſt emeticorum in medicina uſus, maiorque, modo aegris magis placerent, foret, ut paucula de illorum indicantibus et contraindicantibus diſſerendi labor haud plane ſupervacaneus eſſe videatur. Noua quidem, quae magni in praxi ſint momenti, me non poſſe proferre, facile largior. Quilibet vero aequus rerum iudex ea a tyrone artis medicae non deſiderabit. Ab experientia enim, cui in arte noſtra practica praecipue inniti debemus, iuuenis rudis eſt, minus, qui aetate eſt provectior. Novas easque plerumque inutiles theorias excogitare, nec animus fuit, nec otium.

 Interim

Interim gradum doctoris, ad praxin faciendam neceſſarium, capeſſuro ea lex ex inſtituto majorum ſcripta eſt, ut ſpecimen eruditionis quoddam conſcribat, eoque, quam bene praeparatus e ſcholis profeſſorum prodeat, edoceat. Obſequor ergo, et quae memoratu digna de emeticorum uſu partim medicorum in ſcholis audieram et libris didiceram, partim cogitando aſſecutus fueram, ita collegi, eumque redegi in ordinem, ut primo de indicantibus emeticorum, et quae eorum prae aliis medendi viis praerogativa ſit, dicerem, deinde contraindicantia et quibus finibus circumſcripta ſint, aperte demonſtrarem.

Breuis quidem fui in pertractanda mea diſquiſitione, quia loci temporisque ratio habenda eſſe videretur, potiora tamen me nec praeteriiſſe puto. Satius enim duxi, reliquum vitae academicae tempus in pervoluendis clinicorum libris, ut ad aegrorum lectulos magis magisque praeparatus accederem, conſumere, quam in conſcribenda voluminoſa diſſertatione operam et oleum perdere. Solent enim fere ii iuuenes, qui tali libello inclareſcere cupiunt, in caeteris artis medicinalis partibus caecutire.

Excipe ergo, L. B. ſerena fronte, quae iuuenis medicus decenter Tibi offerre auſus eſt. Maturior forſan aetas maturiora dabit.

§. I. *In-*

§. I.

I*ndicans* vomitus (*a*) eſt ea corporis conditio, quae ventriculum, duodenum viſceraque cum his connexa ab impuritatibus ſuperne euacuanda iubet. At vero *contraindicans* eſt ea corporis diſpoſitio, quae hanc evacuationem diſſuadet vel prohibet.

§. II.

Definitione indicantium et contraindicantium vomitus prolata, propius iam ſunt definiendae eae corporis conditiones, quae vel vrgeant, vel interdicant vomitum. Sequentibus itaque §phis primo de indicantibus, dein de contraindicantibus eruendis ſollicitus ero.

§. III.

Vomitus indicantia conſtituunt 1mo *Impuritates primarum viarum ſurſum turgeſcentes*; 2do. *Humores viſcerum, prope ſub diaphragmate ſitorum*, c. gr. hepatis, pancreatis cet. *corrupti*.

Vt autem propoſitorum veritas eluceat atque corroberetur, ſingula haecce indicantia ſpecialius conſiderentur oportet.

§. IV.

1mo. *Impuritates primarum viarum ſurſum turgeſcentes.* Iam vero non ſumus ſolliciti de accurata certaque materiei ſurſum

(*a*) Vid. *Car. Arn. Meyer*, Diſſ. De exim. Ipecac. nec non alior. quor. emet. refracta doſi exhibit. uſu, Gott. 1779.

ſum turgeſcentis definitione, quippe quae ad ſemioticam (*b*) pertinet, neque de eo, quod impuritates, tanquam morborum cauſae, talem egeſtionem indicent, multis agere lubitum eſt. Hoc unum diſquiritur, quare iſtae ſordes certam definitamque ſolummodo vacuationum ſpeciem, vomitum (*c*) nempe, requirant, caeterisque praeferendam iubeant.

Cauſa vero, ni omnis fallor, in eo ſita eſt, quod primarum viarum ſordes, quae ſurſum turgeſcunt, per vomitum breviori tutiorique via, et maiori aegri cum emolumento e corpore educi queant.

Viam hanc eſſe longe breviſſimam, quilibet, fabricae primarum viarum non ignarus, facile conceſſerit. Quod vero reliquis ſit tutior, maiusque in aegrum inde redundet commodum, paucis illuſtrabo. Sordes ventriculi et duodeni, ſeu quae ſurſum turgent, ſi remediorum purgantium miniſterio deorſum derivantur per longum inteſtinorum tubum, fieri non poteſt, quin maior huius colluuiei morboſae copia a vaſis bibulis, iisque adeo numeroſis, ſorbeatur ſanguinique immixta totam humorum maſſam inquinet, ut inde nouus, isque peſſimae ſaepe indolis, e. gr. ſynochus putris cet. oriri queat morbus, qui quidem contraindicatam hanc evacuationem fere non ſequitur, licet originem inde ducat. Vomitu vero nociuam hanc ſordium reſorptionem optime praecaueri, facile patet. Alterum, quod aeger inde capit emolumentum in eo conſiſtit, quod efficacior latiorque,

(*b*) Vid. ſigna apud *Glaſſ* Com. De Febrib. p. 74. ed. *Balding.*

(*c*) *Goldwitz*, Diſſ. De vomitus ortu, progreſſu et uſu ad noſtra usque tempora propagato. Bamb. 1780.

que, quam purgantium, ſit vis emeticorum, quae, neruos ſtimulando et excitando, corporis concuſſiones valentioremque ventriculi et duodeni contractionem efficiunt, unde fit, ut ſordes, quae horum viſcerum adhaerent parietibus, plicisue tenaciter inſident, eo melius amoveantur, ſicque per oſtium ventriculi ſuperius poſſint exturbari. Simul et alia viſcera per compreſſionem vel concuſſionem ab impuritatibus, ſi quae inhaerent, liberantur. Praeterea quoque vomitoriis, vere indicatis, id laudi datur, quod in quaeuis inſtrumenta ſecretoria agant, criſes perfectas faciant, imperfectas corrigant, digeſtionis vim veluti reſarciant, denique minus, quam purgantia, corporis vires frangant. Corpus quidem ſub effectu emetici multum videtur labefactatum eiusque vires proſtratae, at profecto apparens tantum eſt haec debilitas, et veluti quaedam abactae materiae peccantis ſequela eſſe videtur, apprime monente Cl. Nose (*d*). Etenim, finita emeticorum actione, mox ſequitur irritamenti ceſſatio neruorumque quies, aeſtus ruborisque imminutio, pulſus remiſſio, corporis vigor mentisque hilaritas. Aliter autem res ſe habet, poſt uſum purgantium, quae, teſte experientia, tranſpirationem ſere impediunt, veram corpori debilitatem plus minus inducunt, ſaepeque, ſi paullo largiori doſi exhibentur, motus excitant febriles. Forſan his adhuc addi licet, quod per purgantia maior, quam per emetica ſuccorum bonorum copia ſimul cum malis extruditur. Denique *tutius dari emeticum poteſt, quam purgans*, (*e*)

 cum

(*d*) Ueber die Zulaeſſigkeit der Ausführungen beſond. d. Brechmittel in hitz, Krankh. Augſp. 1781. p. 90. ſeq.

(*e*) Praeclare monente Ill. Stoll Rat. Med. T. I. p. 56. ſeq.

cum illud in ipſis adeo exacerbationibus exhibere oporteat, hoc non, niſi poſt illas.

Vomitoriorum ſub hoc indicante exhibitorum utilitas et praeſtantia prae purgantibus mihi iam ita evicta eſſe videtur, ut ulteriori non indigeat probatione.

§. V.

Ad alterum emeticorum indicans progredior, demonſtraturis, 2do, *humores viſcerum, prope ſub diaphragmate ſitorum, corrupti*, uſum vomitorii poſtulare. Notum eſt, ductum choledochum ſiue communem aeque bilem hepaticam ac cyſticam duodeno tradere, et ductum pancreaticum ſimili modo ſaliuam ſuam eidem inſtillare inteſtino. Subſit ergo fluidorum, quae in ductibus biliariis hepatis, vel in veſicula fellea, vel in ductibus pancreatis minoribus maioriue exiſtunt, aliqua corruptio, v. gr. nimia viſciditas, quaeritur, num talis humor corruptus optime per emeticum poſſit exturbari? Quidni? Sub vomitu nempe viſcera, ante dicta, inter diaphragma et muſculos abdominis, quaſi prelo incluſa, ita valide comprimuntur, ut humores in illis ſtagnantes corrupti propellantur in duodenum, ſicque, quod praecipue vomitum indicat, ſubito ac ſine ullo noxio effectu e primis viis eliminantur.

Solent quidem multi in viſciditate humorum hepatis et pancreatis reſoluentia remedia praeferre emeticis, ſaepeque illa per longum tempus adhibent, ubi res cito et tuto uno alteroue emetico peragi potuiſſet. Sed aliis adhuc ex cauſis reſoluentia, ſine neceſſitae exhibita, diſplicent. Eſt enim reſoluentium ea natura,

tura, ut non ſolum humores morboſe viſcidos attenuent, ſed et eos, qui cohaeſione gaudent ſana et naturali, ideoque ad ſecretiones, nutritionem cet. vel minus idoneos, vel plane ineptos reddant. Praeterea quoque, ſi acrioris indolis ſunt, vel per longius tempus uſurpantur, gluten reſoluant ſolidorum, ſicque eorum cohaeſionem et robur imminuunt. Praeprimis autem facile nocent iis, qui fibra iam laxiori laborant. Licet et optime, ſine ulla fluidorum aut ſolidorum noxa ſenſibili, fiat reſolutio; humores reſoluti non adeo cito eliminari poſſunt, quin pars aliqua eorum in ſanguinem tranſeat, varioque modo noceat. Viſciditas enim plerumque cum alia quadam humorum corruptione coniuncta eſt Hinc apparet, reſoluentia, quorum maximus certo et quotidianus abuſus in propatulo eſt, ſi quando viſcidi humores viſcerum dictorum functiones turbant, emetico poſtponenda eſſe remedio, quippe quod magis locum affectum attingit, minusque robur ſolidorum frangit. Aliter omnino ſe res habet, verae dum adſunt in hiſce viſceribus obſtructiones, quo in caſu emetica, ſtatim exhibita, plus nocere, quam prodeſſe poſſunt. De his vero infra (§pho XII.) fuſius loquemur.

§. VI.

Vomitus, qui ſponte fit, a multis medicis practicis ad indicantia refertur emeticorum, ita, ut regula inde orta ſit: *vomitus vomitu curatur.* Videamus itaque, num vomitus ſpontaneus ſit indicans emetici, nec ne. Ad rem accuratius diiudicandam requiritur, ut cauſam vomitus proximam paucis modo verbis proferamus. Oritur vomitus ab irritatione quadam, qua motus ventriculi periſtalticus ita inuertitur, ut cum violentia aliqua fiat con-

tento-

tentorum in ventriculo per os expulſio. Quae vero irritatio fit vel a *cauſa immateriali*, e. gr. ab aſpectu vel repraeſentatione nauſeoſae cuiusdam rei, vel *materiali*. In *priori* caſu emeticum indicatum non eſſe, quilibet facile perſpicit, in *poſteriori* vero ulterior requiritur diſtinctio. Si *cauſa* vomitus *materialis* eſt, vel *in ipſo ventriculo*, *duodeno viſceribusve proxime connexis haeret*, vel *in alia corporis parte exiſtit*. In *poſteriori* cauſa emetica immediate, hoc eſt, per euacuationem contentorum ventriculi, non poſſunt prodeſſe, ideoque proprie non ſunt indicata. Si autem ventriculo cet. *materialis* inhaeret *cauſa*, vel *vomitu reiici poteſt*, vel *non*, v. gr. inflammatio, vlcus, ſcirrhus. cet. In *hoc* caſu vomitus noxius magis eſſet, quam proficuus. *Priori* vero prae caeteris apta eſt regula: *vomitus vomitu curatur.*

Nunc vero adhuc diiudicandum reſtat, num indicans in *hoc* caſu vomitus ſit, nec ne. Vomitus ſpontaneus indicans emetici nullo modo eſſe mihi videtur. Nam ſi ſola haec actio emeticum indicaret, quaero, cur non in reliquis ſupra allegatis caſibus idem ſtatuatur, quod in hoc? Actio tamen, per ſe ſine ullo reſpectu ad cauſam ſpectata, ſemper una eademque eſt, nec tamen ſemper vomitum indicat excitandum. Aliud ergo indicans adſit oportet, idque conſtituunt primarum viarum ſordes, vel vomitu iam reiectae, vel aliis ex ſignis cognitae.

Non vituperandus itaque videor, qui vomitum ſpontaneum ad vomitoriorum indicantia non retulerim, cum nunquam, ut ex antecedentibus conſtat, per ſe emeticum indicat. Caſus praeſens, quo *vomitus vomitu vere curatur*, ſub primo noſtro indicante (§pho III.) comprehenſus eſt.

§. VII.

§. VII.

Alia adhuc mouenda eſt quaeſtio, utrum *humorum in hoc illoue viſcere ſtaſis, vel motus vaſorum ſuppreſſus vomitum indicet, nec ne.* Fieri poteſt, ut ex ſordibus primarum viarum oriantur ſtaſes humorum, e. gr. pleuritides cet. et motus vaſorum ſuppreſſi, v. gr. a putrido in primis viis. In tali caſu, praemiſſis praemittendis, ſumma aegri cum utilitate cietur vomitus, qui vero non a ſtaſi humorum vel actione vaſorum ſuppreſſa indicatur, ſed a cognita horum ſymptomatum cauſa, quae conſiſtit in ſordibus ventriculi viſcerumve cum illo communicantium. Cum vero alia ſtaſeos humorum vel motus vaſorum ſuppreſſi cauſa ſubeſt, v. gr. plethora, exaeſtuatio et refrigerium, ſpiſſitudo humorum, vaſorum obſtructio, compreſſio cet. ventriculi evacuatio ad morbum tollendum nihil plane conferre videtur. Itaque illud vomitus indicans, quod a ſtaſi humorum, eorumue motu circulatorio ſuppreſſo ſumitur, conſulto omittendum putaui, dum mihi proprie de emeſi ſermo eſt, non autem effectibus eius ſecundariis.

Non ignoro quidem, ad reſoluendas humorum ſtaſes magnae in praxi utilitatis eſſe emetica. Humores enim ſtagnantes mobiles reddere et promovere, motumque vaſorum ſuppreſſum reſtituere poſſunt per validas ſub vomitu totius corporis concuſſiones. Enacuatio vero contentorum ventriculi, ſub qua ſolummodo et proprie indicatur vomitorium, nec ſtagnationes tollit, nec vaſorum actiones reſtituit. (Exceptionem vid. in prioribus:) In hoc itaque caſu non proprie ventriculi euacuatio, ſed corporis concuſſio utilis eſſe poteſt. Quae vero cum adeo certo et facile vomitu poteſt obtineri,

reli-

reliquis hic auxiliis iure meritoque praefertur. Nullus tamen dubito, quin ſcopum eundem ſaepe aeque bene per errhina et tuſſim mouentia aſſequi poſſemus. Falſo ergo vomitum ſub hoc caſu indicatum dixerunt medici quidam, dum ſolummodo ſymptoma quoddam, vomitum comitans, corporis concuſſio, indicatum fuerit. Eadem ratione etiam vomica pulmonum ad vomitoriorum indicantia referenda eſſet, quia et ad illam rumpendam ſaepe vomitus excitatur. Quis vero affirmaret, vomicam pulmonis indicare ventriculi euacuationem?

§. VIII.

Ad alteram nunc diſquiſitionis meae partem, *contraindicantia*, (*f*), accedo. Multa ſunt, quae euacuationi per vomitum contraria eſſe poſſunt, pauca vero ſunt abſolute talia. Operae itaque pretium erit, ea, quae ſub nomine contraindicantium vomitus comprehendimus, accuratius paullo examinare, ut certior eorum inde fiat definitio. Breuiſſimis, quae vomitum contraindicare videntur, in hac §pho generatim proponam, poſt explicabo ulterius in ſequentibus.

Ad vomitoriorum contraindicantia referenda eſſe videntur 1mo *plethora tam partialis, quam univerſalis*; 2do *haemorrhagia*; 3to *continui ſolutio, vel maior, vel in partibus nobilioribus*; 4to *pertinacior viſcerum vel alui obſtructio*; 5to *diarrhoea critica*; 6to *hernia*; 7mo *graviditas*; 8vo *praegreſſa vel imminens apoplexia*; 9no *anguſtia pharyngis vel oeſophagi nimia*; 10mo *virium*

(*f*) Cf. Cl. Nosz l. c. §. 29. p. 107. ſeq.

rium corporis grauior defectus; 11mo *praecognita quaedam corporis conſtitutio, ſecundum quam in hominibus quibusdam vomitus vel plane non, vel difficillime tantum citari poteſt.* 12mo *immobilitas materiae morboſae in ventriculo cet. ſtabulantis.*

§. IX.

1mo. *Plethora tam partialis, quam uniuerſalis*, tanquam vomitus contraindicans, conſideranda eſt.

Quare ſanguinis in toto corpore redundantia, ſeu *plethora vniuerſalis*, vomitum contraindicet, facili perſpicitur negotio. Sub actu nempe vomendi omnia thoracis et abdominis viſcera comprimuntur, reſpiratio nulla vel rara et parua eſt. Sanguis itaque ex viſceribus abdominis expreſſus, et ad pulmones ſubito detruſus, ob impeditam vero inſpirationem non facile meabilis, in vaſis maioribus ſtagnat, reliquo ſanguini aduenienti venoſo viam praecludit, eiusque in aliis partibus efficit redundantiam. Praeterea et ſanguis arterioſus in dicta viſcera, ob factam in illis compreſſionem, copia ſolito minori intrat, aliaque minus reſiſtentia petit loca, caput inprimis, id quod grauitas, faciei rubor et tumor, oculi ſanguine ſuffuſi cet. commonſtrant. Quae quidem ſymptomata ab impedito ſanguinis reditu quoque poſſunt deriuari. Mihi maior aditus minorque reditus videtur malorum cauſa eſſe reputanda.

Fac ergo, plethoram tunc in corpore adeſſe, tunc quilibet lubenter concedet, vaſa, praecipue cerebri, iam antea ſanguine turgida, per auctam affluentis ſanguinis copiam eiusque abitum

imminutum, ita debere dilatari, ut peſſimae inde cerebri laeſiones oriantur. Vaſa enim nimis diſtenta cerebrum comprimunt, vel ſub maiori adhuc infarctu ſanguinem emittunt per anaſtomoſes vel perruptiones, functiones cerebri turbant, ſicque morbos capitis vel neruorum longos et acutos, e. gr. ſtatum ſoporoſum, apoplexiam, deliria, phrenitides, conuulſiones, epilepſiam cet. poſſunt inducere. Attamen, quamuis periculoſum videatur contraindicans illud, facile tamen caueri poteſt miſſione ſanguinis; tunc enim tuto exhibetur emeticum.

Partialis vero *plethora*, ſeu eminentior ſanguinis in hac illaue parte cumulus, tunc demum contraindicat, quando in parte exiſtit nobiliori, capite, pectore, abdomine, pelvi. In reliquis partibus externis non eſt curanda, niſi grauior forſan ſubſit phlegmone. Contraindicat plethora haecce vomitum ob congeſtiones ſanguinis, in loco plethorico ſub actu vomendi neceſſario adaugendas. Sanguinem enim in tali parte affecta non libere moueri, ſed quodammodo ſtagnare, ipſa docet accumulatio, quae certe non fieret, ſi ſanguis irruens per vaſa libere progedi poſſet. Sub vomitu autem fit validior ſanguinis ex maioribus vaſis in minora impulſio, ideoque reditu impedito, maior ſequetur humorum congeſtio. Facile patet, varias inde machinae humanae inferri poſſe noxas, inflammationes, vaſorum dilatationes nimiae, ruptiones, multaque alia mala, pro loci diuerſitate diuerſa, quae autem hic recenſere non vacat.

Exceptiones interim hoc contraindicans admittit. Practicorum nempe medicorum docuere obſeruationes, ſanguinis congeſtiones ac inflammationes locales, e. gr. peripneumoniam, pleuritides,

phre-

phrenitides, apoplexiam cet. ſaepius ex primarum viarum ſaburra, praeſertim bilioſa, ducere originem. Qui vero morbi, ex hoc fonte dimanantes, nunquam cito, certe non tuto ſanantur, niſi praeuia primarum viarum per vomitum purgatione. Indicatur hic vomitus a bile, in primis viis accumulata, ea tamen ſub cautione, ut ſanguinis congeſtionem ante exhibitum vomitorium, quam fieri poteſt celerrime, diminuamus per venaeſectiones, hirudines, ſcarificationes cet. Quo facto, ſubito ſumma cum aegri utilitate ac ſecuritate inſtituitur vomitus.

§. X.

2do. *Haemorrhagia* vomitum contraindicat, quia per validam humorum ſub vomitu impulſionem vaſa, immenſum, quantum dilatata vel rupta, magis afficiuntur, ſic, ut periculoſum inde oriri queat ſanguinis profluuium.

Attamen haemorrhagia non ſemper eſt vomitus contraindicans, quin potius ad illam ſiſtendam interdum requiratur. Experti docent medici clinici, haemorrhagias, inprimis uteri, haemoptyſin, (*g*) ſtillicidium ſanguinis e naribus cet. a ſordibus in primis viis fuiſſe excitatas. Quibus, teſte experientia, tuto et cito remedio emetico mederi poſſis.

In haemoptyſi aliisque haemorrhagiis vomitum ciere, res periculoſiſſima et facinus temerarium multis quidem videtur medicis, qui, a praeiudicatis opinionibus abrepti, et ſuam ſuetamque methodum prae caeteris ſecuti, de cauſis morbi unius eiusdem-

 que

(*g*) Vid. FRITZE Med. Annal. p. 174. 184. 190. 195.

que variis non cogitant, ideoque nec indicationes formant rationales, taliaque, a cauſa bilioſa orta, ſanguinis profluuia, per venaeſectiones, adſtringentia, ſtyptica interna externaque tractant, nulla habita vel neglecta plane morborum cauſa primaria. Peruerſam vero hanc methodum eſſe, inde patet, quod bilis, in primis viis accumulata, per venaeſectiones rapiatur in ſanguinem, per adſtringentia interna ibidem retineatur, maiorem induat acrimoniam, rel. Quae inde ſequi poſſint mala, cuilibet morbificarum cauſarum non ignaro optime notum eſt, ut ea multis proferendi inutilis et irritus eſſet labor.

§. XI.

3tio *Continui ſolutio vel maior, vel in partibus nobilioribus* partim ex iisdem cauſis, ac praecedens, contraindicans eſt, partim ex aliis. Poſt continui ſolutionem cohaeſio partis imminuitur, imminuta vero ac debilitata cohaeſio vi illatae minus poteſt reſiſtere. Sub vomitu autem omnibus fere, certe nobilioribus corporis partibus, vis quaedam vel per concuſſionem, vel per ſanguinis impulſionem adauctam et impeditum reditum ſemper infertur. Diminuta vero partis affectae reſiſtentia huic impetui cedet, ideoque maior adhuc euadet continui ſolutio, hinc partis vel plenaria ſequetur deſtructio, vel inſignior ſaltem laeſio. Multa, quae inde oriri poſſunt, incommoda hoc loco uberius conſiderare non licet. Praeterea alio adhuc modo parti, continui ſolutionem toleratae, vomitus nocere poteſt. Continui enim ſolutio indicat ſui conſolidationem. Quod ut eo melius eueniat, corporis quies et motus humorum moderatus requiruntur. Cum vero ſub vomitu corpus multum turbatur, humorumque vehementer

menter increſcit motus; facile perſpicitur, conſolidationem partium ſolutarum ſub hoc corporis ſtatu fieri nullo modo poſſe. Quibus addi adhuc et illud poteſt, ipſam concretionem partium ſolutarum coeptam, quia partes haeſae tenuiori adhuc, nec ſatis inſpiſſato glutine vinciuntur, per corporis ſub vomitu concuſſionem iterum poſſe dirumpi. Non deſunt obſeruationes, unde haec enunciatio ſatis ſuperque firmatur.

Iam contraindicans §phi X. ſuperfluum videri poſſet, et comprehenſum ſub contraindicante §phi praeſentis eſſe, quia, facta maiori continui ſolutione, haemorrhagiae contingunt. Recte, ſi hanc haemorrhagiarum cauſam ſpectes. Quiduero, ſi haemorrhagia non a continui ſolutione, ſed orificiis vaſorum dilatatis oriatur? Tunc ſub continui ſolutione complecti eam non licet; ideoque haemorrhagia mihi viſa eſt peculiare conſtituere vomitus contraindicans.

§. XII.

4to. *Pertinacior viſcerum vel alui obſtructio* variis ex cauſis, partim antea allatis, partim adhuc proferendis, diſſuadet vomitum. Viſceribus quippe obſtructis, liberior in eis ſanguinis circulus impeditur, ut humores non rite permeare poſſint, ſed retardentur aliquo modo. Fiat ergo per vomitum vehementior humorum appulſus, et ſubito propter iter impeditum orietur humorum congeſtio, indeque diuerſi generis mala. Alui vero pertinacior obſtructio vomitum contraindicat cum ob cauſas modo dictas, tum propterea, quod vomitu inuertatur motus primarum viarum periſtalticus, ideoque efficiatur, ut omnia ſupra locum obſtructum

ſtructium ſita contenta, ob excitatam validiorem inteſtinorum contractionem et impeditum materiae deſcenſum, ſurſum moueantur, ſicque facile oriatur ileus aluiue obſtructio periculoſior.

Cum itaque, vomitu indicato, pertinacior adſit alui obſtructio; aluus ante emetici ſumtionem clyſmate, fomentatione, cataplaſmate, remedio narcotico cet., pro morbi cauſa varia, reſeranda eſt. Quo facto, tuto celebrari poteſt emeſis. Leuior alui obſtructio emetico ſaepius tollitur.

§. XIII.

5to. *Diarrheoa critica* vomitum prohibet excitandum, quia ſalutare eſt naturae molimen, materiem morbificam e corpore eliminandi, ideoque nullo modo vel ſiſtenda, vel turbanda eſt. Ab vomitu vero, teſte experientia, ſaepius tollitur alui profluuium vel imminuitur ſaltem, quia emeſi motus periſtalticus inverſus, ideoque diarrhoeae contrarius, excitatur, eaque ratione inteſtinorum ſordes per longius retinentur tempus, plusque humorum corruptorum tranſit ad ſanguinem. Varii inde generis oriri poſſe morbos, neminem fugit.

Attamen, licet critica ſit diarrhoea, vomitus fortunate inſtituitur, ſi magna ſordium copia ſurſum ſimul turgeſcat, et poſt vomitum alui profluuium reſtituatur, quod ſaepe ipſa emetica ſit medicina, e. gr. Tartaro emetico. Saepe etiam diarrhoea, aegrum alleuans, a parte quadam ſaburrae, in ventriculo ſtabulantis, ad cauum inteſtinorum delata, cum interim in ventriculo maior

adhuc

adhuc impuritatum haereat copia, qua per vomitum euacuata, ſponte et ſalutariter ceſſat frequentior haec alui excretio.

§. XIV.

6to. *Hernia* diſſuadet vomitum ob corporis concuſſionem compreſſionemque viſcerum abdominis, quo facile fieri poteſt, vt ſtatus ille morboſus multum increſcat, aliaque adhuc viſcera e ſitu ſuo naturali moueantur, vel herniae fiat incarceratio quaedam, cuius ambiguum exitum perpendere huc non vacat.

Interim tamen et hoc contraindicans non abſolute tale eſt. Licet enim in hernioſo tutius euitetur emeticum; in eo caſu tamen, ubi euidentiſſima et magna eius eſt utilitas, quoque poteſt exhiberi, ea modo adhibita cautione, vt hernia, quae reduci amplius non poteſt, vel manu, vel ſuſpenſorio fulciatur idoneo. Tunc enim tutius vomitus citari poteſt.

§. XV.

7mo. *Grauiditas* emeſi repugnat ob metum abortus, qui ſub vehementiori ſanguinis impulſu, corporis concuſſione, viſcerumque abdominis et peluis compreſſione poteſt contingere. Emeticum itaque, niſi inſignior eius ſit utilitas, vel ſumma neceſſitas urgeat, tutius omittitur. Interim res admodum frequens eſt vomitus in grauidis ſpontaneus, vt plurimae forſan ſub tempore grauiditatis vomuerint ſine ulla foetus noxa. Emetica ergo in grauidis non adeo ſunt periculoſa, vti multis videntur, et ipſe

Hippocrates (*b*) *grauidis magis metuiſſe videtur a copioſo alui fluxu medicamentis inducto, quam moto vomitu.* Satius tamen ſemper eſt, ſub ipſa grauiditate, ſi res circumſtantes poſcunt vomitum, minus frequentem et moderatum excitare, eumque in grauidis ad abortum pronis et ad menſem tertium, quartum vel ſeptimum progreſſis, niſi vrgens adſit indicans, plane euitare. Id quoque perpendendum eſt, vomitum ſpontaneum facilius plerumque, quam arte excitatum contingere, ideoque illius effectus ſecundarii, a violentia vomitus naſcentes, vel fere ceſſare, vel multo eſſe minores.

Dum vero vita matris in periculo haeret, et emeſi forſan poteſt ſeruari, hoc contraindicans plane euaneſcit. Satius enim eſt, vitam matris cum incerta foetus morte redimere, quam ſinere, vt mater vna cum foetu pereat.

§. XVI.

8vo. *Praegreſſa vel imminens apoplexia* in contraindicantium numero quoque eſt collocanda. Supra §pho IX. dictum et large explicatum fuit, maiorem ſub vomitu copiam ſanguinis ad caput deferri, eiusque quodammodo impediri reditum. Cum autem in iis, qui iam laborarunt apoplexia, vel quibus ea minatur, omnia ea, quae ſanguinis caput verſus faciunt congeſtiones, ſollicite ſint euitanda; facile intelligitur, emetica hiſce hominibus non eſſe exhibenda.

Dantur tamen apoplexiae, quae non contraindicant vomitum, ſed indicant potius. Etenim per obſeruationes medicorum conſtat,

(*b*) Ap. Kloekhof Hiſt. Epid. a. 1741. p. 102.

conſtat, a primarum viarum ſaburra (*i*) oriri poſſe apoplexiam, cui, praemiſſa venaeſectione, per medicinam emeticam cito et tuto medemur. SWIETENIVS (*k*) talis mentionem fecit apoplexiae, ab ipſa natura, praemiſſa venaeſectione, vomitu ſpontaneo perfectiſſime ſanatae.

§. XVII.

9no. *Anguſtia pharyngis vel oeſophagi nimia*, e. gr. a polypo, tumore aquoſo vel inflammatorio intus haerente, vel a compreſſione partium vicinarum intumeſcentium cet. huc referenda eſt. Facile perſpicitur, hac via nimis anguſtata, vomitum non poſſe bene cieri, materiam ſurſum motam relabi iterum, aegrum excruciari inaniter, diraque inde oriri ſymptomata, vt emeſis nec tuta, nec ſalutaris eſſe queat.

§. XVIII.

10mo. *Virium corporis grauior defectus* etiam accuſandus eſt, modo *verus* ſit, nec *apparens*. Fieri enim poteſt, ut corpus viribus adhuc abundans, admodum debile videatur et fractum, quale quid accidit, ſi neruorum vis ſuppreſſa vel quaſi ſuffocata eſt. Sic obſeruatum eſt, homines, ſub vino fermenteſcente in cella ab aëre non perflata aliquamdiu commoratos, ſubito concidiſſe,

(*i*) Vid. SCHROEDER De Apoplex. ex praecord. vitiis orig. p. 338. ſeq. T. I. Opuſcul. SCHOENHEIDER De Inſultu apoplect. p. 103. T. I. Act. Hafn. Societ.

(*k*) Comm. in BOERHAAV. Aphor. de cogn. et cur. morb. T. III. p. 286.

diſſe, omni vi corporis et animi ita priuatos, vt de eorum reſuſcitatione prorſus dubitaretur. Aeri interim puro et frigidiori expoſiti mox ad ſe redierunt, nullum roboris ſui decrementum experti. Simile quid in lipothymicis occurrit. In tali caſu certo non adfuit vera corporis debilitas, ſed tantummodo apparens, ſeu potius virium ſuppreſſio. Sic homines ſaepius languent, quorum praecordia impuritatibus ſcatent. Quibus euacuatis, corporis vigor reſtituitur ſubito. *Non oportet terreri metu infirmitatis*, inquit magnus BALLONIVS (*l*), *cum ea potius a copia aut cacochylia humoris pendet, quam ab inanitione.* Vltimus ergo debilitatis caſus is eſt, qui emeſin non ſolum non interdicit, ſed potius iubet.

Verae itaque et apparentis debilitatis ſigna, quae in ſemiotica conſiderantur, omni animi intentione probe ſunt ponderanda. Vomitum interim inſignior tantummodo verae debilitatis gradus contraindicat, qui paululum adauctus ab nixu corporis inter vomendum validiori, vires aegri adeo conſumit, vt vel in morbum incidat periculoſiorem, vel, vi vitali plane exhauſta, morti ex debilitate ſuccumbat. Hinc *vacuandum*, recte monente FERNELIO (*m*), *quantum et quousque vires patiuntur, cumque iam diſſolui apparent, etiamſi reſtent ſuperuacua, protinus ſuperſedendum, dum illae* recreentur.

§. XIX.

IImo. *Praecognita quaedam corporis conſtitutio, ſecundum quam in hominibus quibusdam vomitus vel plane non, vel diffi-*

(*l*) Epid. II. T. I. p. 181. et Geneu.

(*m*) Therap. Uniu. L. III. c. II. p. 217.

difficillime tantum citari poteſt. Tunc neceſſe eſt, vt tales emeticam medicinam ſaepius experti ſint, ſed ſine ulla vel tarda vacuatione. Neque enim, vbi nec vomitus, nec alii ſueti emetici effectus ſubſecuti fuerint, illico ad talem idioſyncraſiam concludere licet. Haud raro enim doſis remedii nimis parca vel ſubita cauſa ad fuiſſe videtur. Excitatis vero ad vomendum conatibus validis, et ſpasmodica ventriculi contractione, vomitu vero non ſubſequente, propria quaedam corporis conſtitutio, quae vomitum impediat, erit aſſumenda. At vero, quae cauſa ſubſit, ſaepenumero non liquet. Proxima videtur conſiſtere in ſpaſmo cardiae, ſub contractione ventriculi oborto validiori, quin a fibris ventriculi muſcularibus, etiamſi ſeſe vehementer contrahant atque conſtringant, poſſit ſuperari. Vnde vero haec intenſior cardiae contractio ducat originem, iudicare non audeo; forſan a maiore huius partis ſenſibilitate et irritabilitate, vel eius fibrarum muſcularium ſtructura firmiori, vel praegreſſis ſpaſmis vehementibus, vel alia quadam cauſa obſcura. Status hic ad idioſyncraſias referendus eſſe videtur, quarum cauſas ſingulares et abditas fere ignoramus. Satis eſt, noſſe tali idioſyncraſia praeditos, ne inani vomituritione ac doloribus noxiis miſere excruciemus, corporis vires ſub hoc nixu vehementi frangamus, multisque aliis anſam praebeamus malis.

Hoc itaque ex omnibus contraindicantibus unicum erit, quod abſolute vomitum excitandum contraindicet, quia emeticum, tanquam emeticum, hic nunquam prodeſſe poteſt, ſemper nocere debet.

Si vero vomitus, ſed difficillime tantum, peragi poteſt, non quidem abſolute contraindicat, ſed tantum emeticorum vſum ad caſum ſumme vrgentis neceſſitatis revocat. Sub tali enim vomitu violento varium vomenti ſemper imminet periculum, quod probe

cum

cum illo, quod ex omiſſo vomitu poteſt oriri, comparandum eſt, vt malis e duobus eligamus minus.

§. XX.

12mo. *Immobilitas materiae morboſae in ventriculo cet. ſtabulantis* vltimum contraindicans praebet. Eſt hoc quidem commune omnibus euacuationibus contraindicans, eliminationi per vomitum non in ſpecie contrarium, ideoque eius hoc loco, vbi in ſpecie de vomitu ſermo eſt, mentionem facere inconcinnum videri poſſet. Non putarim. Etenim in hac euacuationum forma, de qua iam loquimur, ad hoc contraindicans praecipue attentum eſſe medentem oportere exiſtimo. Ingrata res eſt emeſis, multisque ob noxas, quas phantaſiae vis fingit, valde deteſtabilis, hinc ardua, quae in aegris, praeſertim delicatioribus, perfici queat, vt nec rationes aliquid valeant, nec eloquentiae vis ad flectendos animos. Debet itaque medicus, voti ſui compos factus, ſollicite in eo allaborare, vt vomitus vere, cito ac facile eueniat. Raro enim licet, vomitu ſemel irrito, nouum iterum excitare. Quanta vero aegro ex omiſſa emeſi, vere indicata, mala queant accidere, ſupra pluribus dixi. Vt ergo in aegri ſalutem vomitus cedat, contraindicans hoc prius remouendum eſt. Saburra enim ventriculi cet. parietibus tenaciter adhaerente, per vomitum ſaepe nihil materiae morbificae reiicitur, vel ſaltem non ea copia, quae ſufficiat ad reddendam valetudinem. In tali ergo caſu ſoluentibus ſaburra tenax mobilis reddenda eſt, antequam cieatur vomitus. Interdum quidem accidit, vt etiam immobiles ſordes, non adeo firmiter inhaerentes, emetico remedio ſoluantur et euacuentur ſimul, Tutius tamen prius, in delicatioribus ſaltem, eſſe puto.

§. XXI.

§. XXI.

Reliquum eſt, vt, quibus in morbis potiſſimum emetica proſint, paucis oſtendam. Sunt vero ex *acutorum* familia febres cum delirio a ſordibus inteſtinorum (*n*), intermittentes, remittentes, biliofae, putridae, malignae, variolofae, morbilloſae, miliares, eryſipelatoſae, verminoſae, catarrhales, pleuritides et peripneumoniae biliofae; e *longis* vero, quicunque aut primarum viarum ſaburrae debentur, aut certe cum inteſtinis quadam ſympathia copulantur, quales ſunt vertigo, dolor capitis, tuſſis et catarrhus, aſthma pituitoſum, hemoptoë bilioſa, vitia digeſtionis, immoderatus menſium fluor, icterus, hypochondriaſis et hyſteriaſis, conuulſiones quoque a ſaburra, vermes, lipothymia ſtomachica cet. Vnde quam late emeticorum vis et poteſtas pateat, recte perſpicitur.

§. XXII.

Sed finem nunc labori impono. Reſtant forſan quaedam contraindicantia, quae addi poſſe videantur, e. gr. gibboſitas cet. Sed partim ſub allatis comprehendi, vel minoris momenti ea eſſe autumo, grauiora a me in medium prolata eſſe perſuaſus.

Patet ex antecedentibus, multa eſſe vomitus contraindicantia, ſed ſimul quoque elucet, vllum vix eſſe, quod abſolute contraindi-

(*n*) Vid. plura ap. Io. Wenc. Nevmann Diſſ. Neglectus emeticor. per obſ. pract. vindicatus. Prag 1781. p. 8 ſeq. et Fothergill Diſſ. de emeticor. vſu in var. morb. tractand. Edimb. 1776. in Smell. Theſ. T. I. pag. 157. Wolff Diſſ. de vomit. vſu in febrib. Gott. 1780.

traindicet, quod vel tolli non poſſit, vel exceptiones non admittat. Omnia praeter id, quod §pho XIX. ſcriptum eſt, huic cedunt exceptioni, *ſummae et valde vrgenti ventriculum euacuandi neceſſitati, dum aegri vita ob moram materiae, in primis viis ſtabulantis, periclitatur;* e. gr. aſſumti per os veneni, in ventriculo vel duodeno adhuc haerentis. Praeterea experienta docet quotidiana, naturam, ſub omnibus ante dictis contraindicantibus, vomitum ſaepius excitare ſpontaneum, ſine vlla aegri noxa, quin potius magno cum emolumento. Non ergo neceſſe videtur, vt theoriae de vomitu non excitando anxie inhaereamus, per experientiam, magiſtram optimam, conuicti de contrario, modo illam imprudenti ac coeco quodam conſilio ducti, non prorſus negligamus. Perpendendum enim ſemper erit, vomitum ſpontaneum eo, qui arte excitatur, debiliorem ac inferiorem eſſe exiſtimandum.

E r r a t a.

p. 3 l. 17 leg. corroboretur. p. 6 l. 7 leg. demonſtraturus. eod. pag. l. 8. leg. corruptos. p. 8. l. 7. leg. caſu. p. 19. l. 7. leg. oeſophagi nimia.